76

CONCISÆ ET PRACTICÆ

OBSERVATIONES

DE

Intermittentibus Febribus

CURANDIS;

PRÆCIPUE INVETERATIS QUARTANIS:

NEC NON PAUCÆ NOTATIONES

CIRCA

ISCHIADICI DOLORIS TRACTANDI METHODUM:

QUIBUS ADDITA EST

ALIORUM QUORUNDAM MORBORUM MEDICINA.

AUCTORE

GULIELMO NORFORD, M.D.

Uno ex Coll. Reg. Med. LONDIN. Permissis extra.

BURIÆ:

Ex Typographiâ GULIELMI GREEN, Bibliopolæ;

Veneunt etiam LONDINI apud S. CROWDER, T. CADELL, et H. PAYNE.

M,DCC,LXXX.

CELEBERRIMO VIRO

Gulielmo Heberden M.D.

COLLEGII MEDICORUM *LONDINENSIS*,

ET

SOCIETATIS REGIÆ SOCIO

GULIELMUS NORFORD S.P.D.

CUM cognovissem te, vir optime, non solum amicum meum, sed etiam virum doctrinâ abundantem, et quâdam varietate rerum et copiâ; maximèque artis medicæ peritiâ, haud minimè dubitabam

cui

cui potiſſimùm hoc opuſculum dedicarem: nam magni eſt animi ſemper benignè hujuſmodi opera, eorumque auctorem inſpicere, qui ei rei operam dederit, quæ utilitèr ad hominum vitam fiat.

Noli autem, vir ornatiſſimè, putare me adeò eſſe arrogantem, ut exiſtimem me poſſe quicquam tibi notum facere, quod tu jam diu non optimè cognoveris: quoniam verò nullus auctor quem quidem evolvi, ita tractavit has febres, vel tantam doſin

Myrrhæ

Myrrhæ exhibuit, quantam ego exhibui, mihi viſus ſum rem Tyronibus et minùs noſtræ artis peritis perutilem facturus, ſi eam methodum has tractandi explicarem, quam maximos ſecum trahere fructus longa experientia me docuit. Nam cùm primùm ego medicinam factitare cœpiſſem, omnes quotidianas obſervationes, ſcilicet quæcunque memoriâ dignæ videbantur, literis mandare ſtatui; omiſſis iis, quæ nec cognoſcendi voluptate, nec exemplo erant neceſſariæ; adeò ut, paucis annis,

annotationum fasciculum fecerim; quibus pro re natâ memoria renovaretur. Siquis roget, cur ego sequentes observationes in lucem ediderim, Latino potiùs quàm vernaculo sermone descriptas, respondeo, Cum exteris medicas observationes commmunicare debet nostra Gens, ut eadem ratione illorum diligentiæ pariter fructum nostrates percipiant. Simul persuasum est mihi, plurimos ex medicis libris, qui vernaculâ linguâ publicati sunt, Empiricæ magis profuisse quàm artis medicæ scientiæ.

In

In ſequentibus obſervationibus, erat ampliſſimus conjectandi campus; ſed deditâ operâ, omnem hypotheſin evitavi; et, omiſſâ meâ qualicunque de naturae et medicamentorum operationibus ſententiâ, id tantum volui, ut, cujuſmodi medicamentis adhibitis aeger ad ſanitatem redigatur, appareat. Vale.

BURIÆ,
decimo calendas ſeptembres,
M,DCC,LXXX.

LECTORI

S.

IN opufculo fequenti, amice lector, aliquot hiftorias morborum, et eos tractandi methodum fideliter defcriptam tibi in manus trado: eas quidem nudas, nulloque orationis fuco commendatas: perfpicuitati tantum ftudui. Quaecunque igitur non tantum fcribendi vitia, fed etiam typographica errata me fugerunt, excufes volo et rogo; praefertìm cùm Medicum non Rhetorem agam. Vale.

D E

DE CURANDIS

INTERMITTENTIBUS FEBRIBUS

Obſervationes, &c.

CUM illud Medicamentum divinum, magnum illud Dei donum, Cortex peruvianus exploratus fuerit, ejuſque uſus in lucem prodierit, fortaſſe videatur Medicis parum neceſſe aliquid amplius anquirere, quo, quenquam febre intermittente laborantem ad ſanitatem revocare poſſint. Sed cùm longo rerum uſu appareat, vel Corticem peruvianum febrem intermittentem haud

ſemper profligaſſe, operæ pretium eſt quærere, quod aliud Medicamen in ſtatu quopiam peculiari hujuſce Morbi tutò adhibere poſſent Medici.

Audeam enim affirmare nullum eſſe Medicum, qui quidem multos annos medicinam factitavit, quem ſua de Corticis ipſius peruviani efficaciâ concepta ſpes non aliquando in febre intermittente fefellerit. Antequam Corticis uſus detectus fuerat, multa ab antiquioribus Medicis, et ante et poſt febrem, data fuerant, ſucceſſu aliquando proſpero, ſed frequentiùs nullo: ut apud Celſum ſatis patet. Sed cujuſmodi hæc medicamina ſint, non eſt nunc dicendi locus: quod igitur longâ experientiâ di-

dici,

dici, id tantum breviter referam: hoc autem paucis exemplis illuſtrabitur.

Hiſtoria prima.

JOSEPHUS RAY, agricolæ filius, viginti ſex annos circiter natus, menſes ſex abhinc, febre quartanâ correptus eſt. In primis mali hebdomadis, ſub Pharmacopolæ curâ ſumpſit Corticis peruviani multum ſed fruſtra: poſtea Medicamenta omnigena aniliter, denique quotidie mane, vel ſæpius, ſuam urinam ipſius potaverat, tamen redierat paroxyſmus, pro more, in quartum diem: quî robur corporis debilitatum fuit. Ad me tandem aditum eſt die 28°. Martii 1780.

R. *Gummi*

R. *Gummi Myrrhæ, in pulverem quàm maximè ſubtilem redactæ, drachmas tres: pro una doſi, quæ ex hauſtulo vini albi horâ ante paroxyſmum ſumenda eſt: horâ verò ante ſingulos paroxyſmos repetatur idem.* Porro,

R. *Pulveris Corticis peruviani optimi drachmam unam,*

Salis ammoniaci crudi grana quinque.

Miſce; et fiat pulvis pro doſi; quæ, omni trihorio, febre abſente, ſumenda eſt, ex cyatho vini et aquæ. Die 28°. Martii.

Perſtitit in horum uſu uſque ad diem 29um. Aprilis, tamen paroxyſmus quartâ quâque die rediit;

diit; quamvis usu Myrrhæ duratio paroxysmi contracta fuit, et mitior factus horror. Sed ex literis à Pharmacopolâ scriptis, et ad me datis, postea intellexi illum leni et continuâ febriculâ per hebdomadam inter paroxysmos laborasse: quamvis, diebus vacuis à paroxysmis, ut moris est, in agros ambulare perrexerat. Tum jussi Corticem peruvianum omninò omitti; sed in Myrrhæ usu horâ ante paroxysmum perseverari; sanguinem autem in calido febris accessu è brachio ad uncias duodecim extrahi, et sescunciam Misturæ sequentis tertiâ vel quartâ quâque horâ capi.

R. *Salis diuretici drachmas tres,*

Aquæ Cinnamomi ſimplicis uncias ſex,

——- Cinnamomi ſpirituoſæ,

Syrupi è Corticibus aurantiorum, ſingulorum unciam unam.

Miſce; et fiat Miſtura.

His rebus perfectis, ille, die 8°. Maii, meam domum venit ſanus. Dixit duos paroxyſmos tantum à venæ ſectione ſibi fuiſſe, eoſque nullius momenti, et ſine horrore: primum quidem paroxyſmum tres horas duraviſſe, alterum tantum unam; qui eum levi moleſtiâ dorſi affecerat per id tempus, id eſt, horæ ſpatium.

Hâc curaturâ multos ſanavi, non tantum vere, ſed etiam autumno, quo tempore, vetus quartana non facilè ſolvitur: autumno verò minùs ſæpe ac vere, opus eſt in veteri quartanâ ſanguinem mittere. Sed cum æger aliquis diuturno morbi curſu cacheticus factus eſt, quæ ſequuntur medicamenta felici ſucceſſu adhibeo.

Hiſtoria ſecunda.

Robertus Kemp, homo operarius, quadraginta annos circiter natus, totam hyemem, febre quartanâ, vexatus erat: quæ, Corticis peruviani, et emeticorum uſu ante paroxyſmos, iterum et ſæpius in aliquot dies dilata erat.

Die

Die 18°· Februarii 1780. me adivit. Facie erat pallidâ, nec ullam ciborum appetentiam ſentire cæperat, ac corporis vires erant imminutæ.

R. *Myrrhæ ſubtiliſſimæ pulveratæ drachmas duas, pro doſi: quæ, ex vaſculo vini albi horâ ante paroxyſmum ſumenda eſt: repetatur idem ante ſingulos paroxyſmos: in lectulo ſe contineat æger, durante paroxyſmo.*

R. *Pulveris Corticis peruviani optimi drachmas octo,*
Salis ammoniaci crudi ſcrupulos duos.
Miſce; fiat pulvis.
Divide in chartas octo: quarum capiat unam omni bihorio ex vaſculo vini et aquæ, febre abſente.

Feb. 23°. Adhibitâ Myrrhâ, duratio horroris contracta eſt: doſis verum Myrrhæ ad drachmas tres augebatur. Pergat in Corticis uſu omni bihorio ut antea.

Feb. 28°. Paroxyſmorum duratio impetuſque multùm diminutus eſt, adeo ut paroxyſmus totus non ultra horas tres ſe extenderit.

Perſiſtat in Myrrhæ uſu, nec non Corticis peruviani ut antea. Intra dies quatuordecim reſtitutus eſt ſanitati.

Hiſtoria tertia.

ÆGRA, uxor ſacræ Theologiæ Doctoris, dum hæc ſcribebam, meæ curæ ſe commiſit, quæ, febre quartanâ multas hebdomadas jam laboraverat, et maximam Corticis quantitatem fruſtra ſumpſerat, ab unâ doſi Myrrhæ ſumptâ horâ ante paroxyſmum eſt ſanata: illa tamen in Myrrhæ uſu horâ ante tempus ſolitum paroxyſmi, ad tres, vel quatuor vices, atque etiam Corticis peruviani perſiſtebat, ut reſtitueretur perfectè ſanitati: quod intra menſem factum eſt.

Ne autem non integrè deleatur morbus, cùm,

hoc

hoc anno, huic morbo faveat aër, ſubindè repatatur Electarium ſequens, pro re natâ.

R. *Myrrhæ ſubtiliſſimæ pulveratæ unciam dimidiam,*

Pulver. Cort. peru. unciam unam,

—— *Salis Martis,*

—— *Abſinthii,*

Singulorum drachmam unam,

Syrupi è Cort. Aurantior. q. ſ. ut fiat Electarium, de quo capiat ad Magn. N. M. ter vel quater ſpatio horârum xxiv. *et ſuperbibat hauſtulum Infuſi Cort. peru. parati ex vini rubri et aquæ partibus æqualibus: hoc agitato tempore uſûs.*

Siquando æger aliquis tam diu, hoc malo, vexatus fuerit, ut crura et abdomen intumuerint, adeo ut hydropis in periculum adductus fuerit, quæ ſequuntur Medicamenta ſæpe eum ad ſanitatem redigent

R. *Tartari emetici grana duo vel tria,*

Sacchari albi drachmam unam: terantur ſimul in Mortario, addendo vini Ipecacoanhæ unciam unam.

Miſce; et fiat Hauſtus emeticus.

R. *Infuſi florum Chamæmeli libram unam,*

Aceti ſcillitici drachmas duas.

Miſce; fiat Infuſum emeticum; cujus bibat æger

æger hauſtulum tepefactum quamprimum vomitionem Hauſtus emeticus ciere cœperit: repetatur idem inter vomendum.

Aliquando nihil bibi juſſi inter vomendum; ſed poſteaquam vomitio ſpontè ceſſaverat, cochleare ſpiritûs vinoſi gallici capiat æger.

Hoc mihi diu perſuaſiſſimum fuit, immanes iſtos hauſtus ſubtepidi liquoris, quos nonnulli in hujuſmodi caſibus ſuaſerunt, ventriculum frequenter læſiſſe, plus nimio eum diſtendendo; imò adeo ut vis, atque omnis actio ejus perditæ fuerint, et quaſi conſtrictæ: quod ſemel atque iterum vidi.

R. *Salis diuretici drachmas tres,*

Aquæ Menthæ vulgaris ſimplicis uncias quatuor,

——— Cinnamomi ſimplicis uncias duas,

Syrupi è Corticibus Aurantiorum drachmas quatuor.

Miſce; fiat Miſtura, cujus capiat cochlearia tria, vel quatuor, tertiâ quâque horâ.

Paroxyſmo peracto, ſequentibus utatur æger.

R. *Pulveris Corticis peruviani drachmas octo,*

Salis Martis ſubtiliſſimi pulverati drachmam unam,

Syrupi è Corticibus Aurantiorum q. ſ. ut fiat Electarium pro doſibus octo: quarum ſumat

unam

unam omni bihorio, donec octo doses sumpserit, superbibendo cochlearia tria larga Decocti sequentis.

R. *Decocti Corticis peruviani unam libram,*
Salis Absinthii drachmam unam;
Tincturæ Cort. peruviani nostræ uncias duas.
Misce; fiat Decoctum.
Decoctum fit coquendo Corticis peru. crassè pulverat. uncias duas, ex Aquæ puræ, q. s. ut fiat colaturæ libra una.

Sed ubi æger octo doses Electarii sumpserit, ille tamen in ejus usu tertiâ quâque horâ pergere debet,

debet, donec intra tres horas ſequentis paroxyſmi pervenerit.

Cum in lectulo jacet, hauſtum ſequentem horâ ante paroxyſmum capiat.

R. *Myrrhæ optimæ drachmas tres,*
Vini albi uncias tres.
Miſce; fiat Hauſtus.

Durante febre, tertia quâque horâ capiat hauſtum Miſturæ ex Sale diuretico, ut antea præſcriptæ: hæc doſis Myrrhæ ante ſingulos paroxyſmos ſumatur: in uſu autem Corticis, &c. perſiſtendum eſt donec æger convaluerit.

Hiſtoria quarta.

NONDUM tertius annus eſt quod colonus in paludoſis agris, *Hundreds of Eſſex* dictis, Medicamentis ſupra poſitis, ſanatus fuit: qui plus duos annos quartanâ febre jam laboraverat. Varia Medicamina diu ſumpſerat, et Corticis peruviani multum fruſtra: ſed, ut mea memoria eſt, mihi dixit, nunquam tempore ſolito paroxyſmi in horam dilatum fuiſſe reditum, priùs Myrrham quam ceperat.

In principio paroxyſmi ſemper ventriculi et inteſtinorum convulſum affectum ſentire, qui per

totum tempus acceſſionis febris manebat. Hauſtum igitur horâ ante paroxyſmi dedi bibendum, qui habebat, *Myrrhæ ſemiunciam*, *Aquæ Menthæ piperitidis ſimplicis uncias tres*, *Tincturæ Thebaicæ*, *pondere*, *ſcrupulum unum*, *S. A. M.* Incredible levamen ab hauſtuum uſurpatione percepit æger: et à primo hauſtu nunquam rediit paroxyſmus. Hoc autem notandum, in hauſtuum uſu horâ ante ſolitum tempus paroxyſmi perſeveravit ad quinque vel ſex vices, nec non Corticis peruviani, &c. inter paroxyſmos, donec omne morbi veſtigium deleri putatum eſt. Per aliquot menſes ſequens Electarium cepit, cui *drachma Rhabarbari* adjecta erat ad alvum ſolvendam, pro re natâ.

R. *Myrrhæ*

℞. *Myrrhæ ſubtiliſſimæ pulveratæ drachmas quatuor,*

Pulver. Cort. peruviani unciam unam,

——— Salis Martis,

——— ——— Abſinthii, ſingulorum drachmas duas,

Syrupi è Cortibus Aurantiorum q. ſ. ut fiat Electarium.

Intra ſex Menſes, ex quo meæ curæ ſe commiſerat, ſanitati reſtitutus eſt.

Hic æger mihi dixit, ſe ſemel ſumptâ in paroxyſmi initio inſcium vis et periculi calidorum remediorum, largâ doſi *Piperis nigri et Aquæ Juniperi, Gin* dictæ, ſibi ipſi penè necem intuliſſe.

Contigit

Contigit mihi ſemel vidiſſe, cùm eſſem in itenere, cadaver ſtabularii, qui, pridie ejus diei è vitâ deceſſerat, largâ doſi Medicaminis ejuſdem generis: et illi, qui adſtabant, mihi dixerunt, eum ultimam horam obiiſſe dum violentèr delirabat.

Hiſtoria quinta.

Dum ultimam hiſtoriam ſcribebam, die 13°. Junii, 1780, uxor fabri lignarii, annos tringinta tres nata (cui fuerat una tantum proles, et ea nunc annum quintum agens) meæ curæ ſe commiſit. Ægra erat pallidâ facie, macilento habitu, et, dum integrâ valetudine fruebatur, alvo ſemper aſtrictâ: ſed per duos annos de ſanitate omiſſâ querebatur: ſuperiorem

ſuperiorem hyemem, ventriculi et inteſtinorum torminibus, et ſubindè diarrhœâ vexata eſt: nonnunquàm exoneraverat alvum ſubcruentam. Multa medicamenta à Pharmacopolâ ſumpſerat, ac dolor inteſtinorum, et dyſentrica ſymptomata remota erant.

Aliquot abhinc hebdomadis lumbricos aliquos teretes exonerabat, et nunc de acri circa lumbos dolore queritur, et convulſo affectu inteſtinorum; lentâ febriculâ ac continuâ, inter paroxyſmos tertianæ febris, quâ per menſem jam laboravit; vires corporis imminutæ ſunt, et parum illi ciborum eſt appententiæ: menſes regulares, lingua alba,

parum ſitis, bonus pulſus ſed velox, urina cruda. Semper in paroxyſmi principio evomendi conatus, ſed nihil ejicitur, et plerumque per duas horas manet horror. Præſcripſi ſequentia.

R. *Salis diuretici drachmas tres,*

Aquæ Cinnamomi ſimplicis uncias quatuor,

——— Menthæ piperitidis ſimplicis uncias duas,

Succi Limonum,

Syrupi è Corticibus Aurantiorum, ſingulorum unciam dimidiam.

Miſce; et fiat Miſtura febrifuga: cujus capiat uncias duas quartâ vel quintâ quâque horâ.

R. *Tartari*

R. *Tartari emetici grana duo,*
Sacchari albi drachmam dimidiam; tere simul et adde,
Aquæ Cinnamomi simplicis unciam unam.
Misce; et fiat Haustus emeticus, in principio sequentis paroxysmi sumendus, phialâ prius bene agitatâ; nihil inter vomendum bibendum est, nisi poculum de Infuso florum Chamæmeli.

Ab hoc medicamento, vix credibile est quantum sordidæ materiæ et vomitu et secessu excreverit; at facilè remedium tulit: et in Misturæ usu febrifugæ perrexit usque ad diem 18um. Junii: tum

tum ſequentem hauſtum juſſi, horâ ante tempus ſequentis paroxyſmi capi.

R. *Myrrhæ optimæ drachmas duas, ſolve terendo in Mortario, cum Aquæ Menthæ vulgaris ſimplicis unciis duabus,*
Tincturæ Thebaicæ guttas octo,
Syrupi è Cort. Aurantior. drachmam unam.
Miſce; fiat Hauſtus ſtomachicus.

Repetatur idem horâ ante ſingulas acceſſiones ad tres vices.

R. *Myrrhæ (in pulverem quàm maximè ſubtilem redactæ) unciam dimidiam,*

Salis

Salis Martis,

—— Abſinthii, ſingulorum drachmas duas,

Tincturæ Thebaicæ pondere ſemidrachmam,

Conſervæ flavedinis Corticum Aurantiorum unciam unam,

Syr. è Cort. Aur. q. ſ. ut fiat Electarium, de quo capiat ad magnitudinem Nucis Moſchatæ tertiâ quâque horâ, et ſuperbibat Cyathum Aquæ puræ cum pauxillo vini rubri miſtæ in febris remiſſione.

Die 25° Junii, ſe melius habuit: dolor circa lumbos mitior factus fuit uſu Anodynorum; et à ſecundo hauſtu myrrhino nunquam rediit pa-

roxyſmus. Cœpit illi eſſe aviditas edendi, et foras animi cauſâ prodire: ſed quia alvus per aliquot dies nimis fuit aſtrictâ, uſus ſum ſequentibus pilulis.

R. *Pilulæ aromaticæ;*

Extracti florum Chamæmeli, ſingulorum drachmam unam, fiant Pilulæ viginti quatuor, quarum capiat duas aut tres omni nocte.

Junii 30°. Electario dolor plurimum ſedatus eſt, et vires corporis refectæ; adeo ut mille paſſuum domo ambulaverit ægra, et intra horam redierit. Alvo adhuc aſtricta, præſcripſi ſequentia.

R. *Pilulæ*

R. *Pilulæ aromaticæ drachmas duas, fiant Pilulæ xxiv. quarum capiat duas aut tres horâ somni. Additor semiuncia Myrrhæ Electario ut antea sumendo.*

Hæc fœmina solita fuit bibere aquam ex argillaceâ foveâ haustam, et hâc aquâ in omni epularum, apparatu uti: huic addas, ut illa quoque in argillaceo solo habitet: hujusmodi morbos, et potissimùm intermittentes febres, originem à talibus aquis, ac solo, ducere frequenter observavi.

Febres, quæ hoc vere ortæ sunt hac in regione, id est, intra viginti à Buriâ in agro Suffolciensi

Milliaria,

Milliaria, naturæ plerumque inflammatoriæ: ſed poſt debitas evacuationes, ſcilicet, ſanguinis miſſionem repetitam (prout opus eſt), et, ex idoneo medicamento vomitionem, citò in veras intermittentes abierunt; atque Cortice peruviano fuere abactæ: haud verò tutum eſt, hoc anno, prius illud febrifugum adhibere quàm æger tres aut quatuor paroxyſmos paſſus eſt. Namque ubi hæc cautio non ſatis obſervata fuerat, iterum et ſæpius, ægros vel lentâ ac putridâ, vel ardente ac vehementi continuâ febre adeo laborantes vidi, ut vix tandem ex orci faucibus eriperentur. Quod ſi, ſanguis primis febris diebus miſſus fuiſſet, pro corporis habitu, ad triginta, quadraginta, aut

aliquando,

aliquando, quinquaginta uncias, et primæ viæ à putridâ materiâ ſatis purgatæ, primum locum obtinebat Cortex peruvianus: tamen adeo pertinaces erant hæ febres, ut non profligarentur niſi Corticis maximâ quantitate exhibitâ: licet ſemper ſeduli fuerimus in optimo eligendo. Hoc verò in morbi ſtatu, Myrrha ante paroxyſmum ſumpta, non mediocrem opem ægrotis attulit. Sæpè Myrrham febre quotidianâ felici ſucceſſu adhibui; quod ſequenti caſu apparebit.

Hiſtoria ſexta.

VIR quidam robuſtus, Piſtor, annorum circiter triginta octo, incola vici NEWMARKET dicti,

pleni habitûs, nullis victûs legibus obligatus, tamen ſobrius, et valde induſtrius; vehemente febre die ultimo Aprilis correptus eſt. Creditur à nobis morbus ortus fuiſſe ex frigore, quod contraxerat in furno calefaciendo occupatus: æſtu enim fatigatus, veſtimentis improvidè depoſitis, in aditum aëri valdè expoſitum ſe recepit, ſimul quoque largum frigidæ Cereviſiæ hauſtum bibit. Primis morbi diebus, impetus febris vehemens erat, duas aut tres horas durabat horror: permagnus calor, cum totius corporis dolore conjunctus, ſequebatur: præcordiorum ineffabili angore, ſpiritûs difficultate, vomitione enormi, et pectoris gravitate laborabat: per totum tempus acceſſionis febris delirabat, atque

tuſſi

tuſſi validâ vexabatur: per triduum febris ſe remiſerat, quum primum eum inviſi, ſexto ſcilicet morbi die; ſed pridie ejus diei, durante paroxyſmo, qui adſtabant ægrum jam jam moriturum putabant. Quæ ſupra dicta ſunt, mihi frater ægri Pharmacopola peritus narravit, cujus curæ æger ſe commiſerat. Venæ ſectio quater celebrata fuerat, unà cum aliis idoneis evacuationibus. Nocte plurimum ſudaverat, alvum mane dejecerat: inveni omnia ſymptomata facta mitiora: caput liberum; urina bilioſa cum nubeculâ prope fundum ſuſpenſâ; Pulſus velox ſed regularis; lingua alba, non admodum ſicca; ſitis mediocris; leves artuum dolores et laſſitudo; calor multo debilior; tuſſis

moleſta,

molesta, raucitas, vomitiones mitiores. Usurpatio Misturæ salinæ in ipso effervescentiæ actu sumptæ, penitùs ejectiones et evomendi conatus sedavit, caloremque totius corporis refrigeravit.

R. *Conservæ fructûs Cynosbati drachmas tres,*
Olei amygdalarum unciam unam,
Syrupi Papaveris erratici uncias duas,
Succi Limonum unciam dimidiam.
Misce; fiat Linctus, cujus capiat cochleare parvum urgente tussi.

R. *Radicis Glycyrrhizæ recentis incis. uncias duas,*
Aquæ bullientis libram unam.
Post macerationem per noctem cola.

R. *Myrrhæ*

℞. *Myrrhæ optimæ drachmam unam,*

Solve terendo in Mortario cum Infusi supra unciis octo, adde

Salis Absinthii drachmam unam.

Misce; fiat Mistura pectoralis, cujus capiat duas uncias, tertiâ quaquâ horâ, in febris remissione, vase prius agitato.

Dum ægrotabat, potum diluentem et aptum morbo sorpserat. Abiens jussi, si in veram intermittentem abiret febris, ægro adhiberi peruvianum Corticem: id quidem factum est simul-ac cessavit febris, sed parùm felici successu: nam, quarto post die, literas à Pharmacopolâ accepi, ex quibus

omnia in pejus ruere intellexi. Accerſitus feſtinavi, et circa ſextam horam veſpertinam, eodem die, ægrum inviſi. Multum deliraverat, ſed nunc ad ſe redierat: cruribus applicata fuerant emplaſtra veſicatoria, cardiacis ſimul adhibitis: ejus pulſus, qui, initio et durante majore parte paroxyſmi adeo debilis et intermittens fuerat, ut vix tactu perciperetur, nunc plenus et regularis erat: ille ſudabat, lingua humida, urina cum copioſo et laudabili ſedimento: hinc conſtat, ſine dubio, ceſſaturam febrem: alvum ſub mediam noctem ter depoſuerat, tamen multo inteſtinorum dolore ac flatu laborabat: intra duas horas abiit febris; nihilominus vitæ diffidens alterum

paroxyſmum

paroxyſmum ferre ſe poſſe negavit æger. Licet ſuperiore die, in paroxyſmi intervallo, hauſtum ex Decocto Corticis peruviani frequenter ſumpſiſſet, nihilo ſecius id non ſatis erat ut conjiceretur febris in fugam; et, quoniam inſequenti die, ſub undecimam horam antemeridianam reditus paroxyſmi expectabatur, ſequentia præſcripſi.

R. *Decocti Corticis peruviani fortis uncias ſex, in quo diſſolve Gum. Arabici drachmam unam cum ſemiſſe; adde*
Pulveris Cort. peru. drachmas duas,
Tinct. Thebaicæ, pondere, drachmam dimidiam.
Miſce; fiat Injectio, horâ decimâ veſperi injicienda, febre abſente.

R. *Pulveris*

R. *Pulveris Cortic. peru. drachmam unam,*

Decocti Corticis unciam unam cum ſemiſſe,

Vini rubri drachmas duas.

Miſce; fiat Hauſtus, omnio bihorio ſumendus vel ſæpius abſente febre.

Maii 12°. (qui erat morbi dies decimus) ſemi-horâ poſt nonam mane, ſex hauſtus et duas injectiones ſumpſerat æger. Pulſus plenus et velox ſed regularis, nulla febris, lingua humida.

R. *Myrrhæ optimæ pulveratæ drachmas tres,*

Aquæ puræ,

Vini rubri, ſingulorum q. ſ. ut fiat Hauſtus, horâ decimâ ſumend. id eſt, horâ ante paroxyſmum.

Vix

Vix credi poteſt, inquit æger, quantum levamen ab injectionis uſurpatione perceperim: flatus enim ac dolor penitùs diſcuſſi ſunt à primâ interjectione.

Maii 13°. quartâ horâ pomeridiana abs eo abivi; et poſtridie à Pharmacopolâ certior factus ſum, ſub mediam noctem rediiſſe febrem; paroxyſmum verò mitiorem fuiſſe; totum paroxyſmum quatuor aut quinque horas tantùm duraſſe: et ægrum ad Corticem rediiſſe. Quid multa? Uſurpatione Corticis et Myrrhæ, paucis poſt diebus, audivi febrem eſſe ſolutam: et, menſe Junio, eum Buriæ vidi penitùs ſanitati reſtitutum.

Nota. In quibuſdam inveteratis quartanis ubi ægri Stomachus largiorem *Myrrhæ* doſin ferre poteſt, *drachmæ ſex* vel *uncia*, duabus vicibus, horâ ante ſingulos paroxyſmos feliciter exhibita eſt.

Inveni Miſturam ex Myrrhâ et Sale Martis, &c. confectam ex amici mei Doctoris MOSIS GRIFFITH, ſententiâ, unà cum Corticis peruviani uſu, laborantibus inveteratâ quartanâ non mediocrem opem attuliſſe: utinam idem de ejus uſu in Phthiſi pulmonali poſſem dicere. Ego tamen puto illum benè de ſuis civibus mereri, edito in lucem libello de Myrrhæ uſu et Sale Martis in hectica ac lentâ febre; quia exploratum habeo illa

Medicamenta

Medicamenta rectè conjuncta, et pro re natâ adhibita, plurimis casibus prodesse. Quid heu! veræ Phthisi prosit ullum Medicamentum, nisi in Mali principio? Sed, vel in ejus primo stadio, graviter quidem errant illi, qui, usu Corticis peruviani, aut Salis * Martis, &c. ægros sanare se posse existimant: et mecum sentit ille vir arctâ mihi familiaritate conjunctus, Doctor DACK, Nordovici, in arte medicâ imprimis laudandus.

Quum

* Habeo compertum esse ita, ut de *Salis Martis* usu dixit Doctor GRIFFITH: nempe multum *hujus Salis* in plurimis casibus exhiberi posse; vix tamen calorem ullum excitabit. Num idem ab alio quopiam Medico notatum sit, præterquàm Doctore GRIFFITH, ignoro. Vide his practical Observations on hectic and slow Fevers.

Quum de Phthiſi hîc loquamur, priùs quàm finem faciam, neceſſe eſt pauca de vitioſo more dicere, qui ſerpſit per omnes fœminas, mediam corporis partem arctiſſimè cingendi nexilibus thoracibus, *ſtays* dictis. Eſt mirandum dictu, cùm eâ conſuetudine uſæ fuerint, quot vitiis non tantùm pulmonum, ſed etiam ventriculi, atque jecoris laborent. Quâ de cauſâ, plerumque illæ quamvis non vitam, tamen pulchritudinem amiſerunt. Non ita imperitus ſum, ut, quid mos valeat, neſciam; cùm verò formoſiſſima et tenerrima naturæ pars ſint fœminæ, operæ pretium erit excogitare quâ ratione illis, ut in deſuetudinem pernicioſæ rei veniant, perſuadeamus. Quo modo hoc fieri

poſſit

poſſit neſcio: id tamen imprimis optandum eſt.

Mentione factâ, in hoc opuſculo, de Tincturâ Corticis Peruviani noſtrâ, lectori ejus formulam dabo, quæ nulli hujuſmodi Tincturæ, nec ſimplicitate, nec elegantiâ, neque quidem efficaciâ ſecunda eſſe percipietur.

Tinctura Corticis Peruviani.

R. *Pulveris Corticis Peruviani optimi uncias ſexdecim,*

Flavedinis Corticum Aurantiorum Hiſpalenſium No. duodecim,

 Nucis

Nucis Moſchatæ pulveratæ uncias duas,

Spiritûs vinoſi gallici congium unum.

Macera per dies quatuordecim, ſine calore, in vaſe bene clauſo, et cola.

Decorticatis Aurantiis, eorum recens Cortex ſtatim ſpiritui addi debet: hoc enim per aliquot horas aëri expoſito, Tincturæ multum et coloris et boni guſtûs decedet.

Quamvis quod lectori oblaturus ſum, antequam hoc opuſculum claudam, ſejunctum ſit à re propoſitâ, tamen velim me excuſatum habeat, ſi illi Medicamen offeram, in morbo non unquam facilè ſolûto,

ſoluto, qui Iſchias dicitur: cujus uſum multos annos facili ſucceſſu exploratum habeo.

R. *Mercurii dulcis ſublimati bene lævigati,*
Florum Sulphuris, pondera æqualia.
Terantur ſimul quotidie per totam Hebdomadam, in Mortario vitreo, vel marmoreo, pro uſu aſſervandus. Nomen Pulvis alterans.

Hunc in Pharmacopolæ officinâ, multis abhinc annis in promptu eſſe juſſi. In omnibus ferè caſibus, hujus morbi, ubi pus articulum non invaſit, aut femoris caput extra coxam non elapſum eſt, uſurpatio hujus pulveris, omni nocte, unà cum

Mifturâ aperiente et diureticâ, quotidie mane fumptâ (fi ufu Pulveris non mota fatis fuerint alvus, poft debitas evacuationes, miffionibus fanguinis repetitis, vulnere fatis largo, femper è pede affecti lateris, nam venæ fectio in brachiis huic morbo rarò prodeft), ægrum fanabit. Diæta fit quæ facilè mutari et concoqui poteft: à carnis ufu et vini abftineat æger. Sanguine igitur extracto è pede ad uncias quatuordecim, vel fexdecim, pro ratione ætatis et virium, &c. plerumque pulverem hoc modo exhibeo.

R, *Pulveris alterantis fcrupulum unum,*

——— *Camphoræ fcrupulum dimidium.*

Terantur

Terantur simul in Mortario vitreo, et, ope conservæ fructûs cynosbati, fiant Pilulæ mediocres, pro unâ dosi: quæ ad horam somni sumenda est: quotidie mane capiat æger dosin satis sequentis Misturæ, ut alvus ter vel saltem bis in die solvatur.

R. *Gummi Guaiaci,*
Salis diuretici, singulorum drachmas duas,
Terantur simul; adde sensim Syrupi Rosarum solutivi unciam unam,
Aquæ Menthæ vulgaris simplicis uncias sex.
Misce; fiat Mistura aperiens et diuretica.

Ægro robuſto, multo dolore laboranti, ſequentia præſcribo.

R. *Pulveris alterantis ſcrupulos duos,*
——— Camphoræ,
——— Gum. Guaiaci ſingulorum ſcrupulum unum.
Tere ſimul, et adde
Opii colati, prius triti cum ſapone albo, ſingulorum grana duo, ope Syrupi ſimplicis fiant Pilulæ mediocres, pro unâ doſi: quæ ad horam ſomni capienda eſt, mane ſequenti hauſtum ſequentem capiat.

R. *Gummi Guaiaci,*

Salis diuretici, ſingulorum drachmam dimidiam.

Tere ſimul, et ſenſim adde

Syrupi Roſarum ſolutivi unciam dimidiam,

Infuſi Senæ com. unciam unam cum ſemiſſe,

Aquæ Menth. pip. ſimp. unciam dimidiam.

Miſce; fiat Hauſtus purgans: horâ ante ſurgendi tempus capiendus, phialâ prius bene agitatâ: intra quatuor horas, alter hauſtus repetendus, niſi alvum prius ſatis depoſuerit æger.

Ut dolor imminuit, ita opium minuendum eſt: et, ad præſcriptam victûs rationem vivere, et,

in

in horum uſu medicamentorum pergere debet æger, donec convaluerit, Hoc modo etiam ſanari poſſit ea rheumatiſmi ſpecies Lumbago vocata. Hoc verò ſequente exemplo illuſtrabo.

Hiſtoria de Lumbagine.

Dominus Stevens, quinquaginta tres ferè annos natus, incola vici *Bilderſtone* dicti, in agro Suffolcienſi; per duos annos pertinaciſſimâ Lumbagine laboraverat Vena ſecta erat, et varia medicamenta fruſtrà ſumpſerat. Symptomata, cùm, die decimo Aprilis, 1771, ſe meæ curæ commiſit, ita ſe habebant. Dolor circa lumbos fixus; pejùs dum æger in lecto jacebat; imbecillitas, torporque

crurum

crurum, à pedibus uſque ad genua; ſic ut vix ingredi poſſet; pulſus piger et debilis: alvus aſtricta. Sequentia præſcripſi.

R. *Pulveris alterantis ſcrupulos duos,*

——— *Gummi Guaiaci ſemidrachmam,*

——— *Scammonii grana tria;*

Terantur ſimul in Mortario marmoreo, et, ope Mellis, fiant Pilulæ xv. *pro tribus doſibus: capiat æger doſin, id eſt, Pilulas quinque, nocte et mane quotidiè, et ſuperbibat Cyathum Julepi è Camphorâ.*

Per decem propè hebdomadas his diligentiſſimè ſumptis, multum levamen lumborum doloris

percepit, ſed imbecillitas torporque crurum re-manſit.

Die 19°. Junii, 1771, ſequentia præſcripta ſunt.

R. *Pulveris Radicis Valerianæ ſilveſtris unciam unam,*

——— Gummi Guaiaci drachmas duas,

Cinnabar. Antimonii lævigat. ſcrupulos duos,

Syrupi è Cort. Aurantior. q. ſ. ut fiat Electarium nervinum, de quo capiat ad magnitud. N. M. largæ horâ decimâ antemeridianâ, et horâ quartâ pomeridianâ, ſuperbibendo hauſtum Julepi è Camphorâ. Porro,

R. *Pulveris*

R. *Pulveris alterantis*

—— *Gummi Guaiaci ſingulorum ſcrupulos duos;*

—— *Scammonii grana quatuor,*

—— *Camphoræ grana ſex:*

Terantur ſimul donec bene miſceantur, et, ope Mellis, fiant Pilulæ xv. *quarum capiat quinque omni nocte ad horam ſomni, et inſuper bibat hauſtum Julepi è Camphorâ ut antea.*

In horum uſu uſque ad inſequentis Julii initium perſeveravit, ubi perfectè crurum uſui, et ſanitati reſtitutus eſt.

Eum

Eum menſe Julio, 1780, vidi; et mihi dixit, ſe, ab eo tempore, ſine ullo vel minimo dorſi dolore, integrâ valetudine fructum fuiſſe. Nihil unquam mali obſervavit æger, licet tot hebdomadas in *Pilularum* uſu ſe continuiſſet: plerumque *Pilulæ* alvum bis vel ter quotidie movebant; ſin minus, ille *purgans medicamen* ſumebat. Nunc ad iſchiadem redeo.

Applicatio veſicatoriorum parti affectæ, quam in hoc malo nonnulli ſuaſerunt, non eſt medicina ſed crudelitas; "altius enim membranis os "circumcingentibus infixus hæret moleſtus hu- "mor, quam ut his extrahi poſſit:" ut obſervavit celeberrimus Meadius.

Hiſtoria

Hiſtoria de Iſchiade.

Johannes Harrold, triginta annos natus faber rotarius, per totum annum pertinaciſſimâ iſchiade laboraverat. Hic æger poſt tentata jam multa medicamenta, à Medico et Chirurgis nonnullis ac Pharmacopolis exhibita, nullo levamine percepto, tandem, die viceſimâ Junii, 1766, meæ curæ ſeſe commiſit.

Morbus ſiniſtrum latus affecerat, et à coxâ ad pedem uſque ſe extenderat dolor; adeo ut miſer nec ingredi, nec ob nocturnos dolores dormire poſſet. Venâ in pede affecto ſectâ, et ſanguine

extracto ad Un. xii: sequentia praescripta sunt.

R. *Pulveris alterantis,*

——— Gummi Guaiaci, singulorum semidrachmam,

——— Camphorae,

Opii crudi, singulorum grana duo,

Mellis q. s. fiant Pilulae viii. *pro una dosi: quotidie hora somni sumenda per hebdomadam. Porro,*

R. *Electarii Lenitivi unciam unam,*

Pulveris Jalapii,

Florum Sulphuris, singulorum drachmam unam;

Pulveris

Pulveris Zingiberis, ſemidrachmam,

Syr. Roſar. ſolut. q. ſ. ut fiat Electarium aperiens, de quo capiat ad M. N. M. quotidie mane; ut alvus bis in die ſolvatur.

Dolores *opii* uſu mitigati ſunt; ſed vigeſimo tertio die redierunt. *Pilulis* igitur *unum granum opii* adjectum eſt. Totum femur frigidum eſſe queſtus eſt, et rogavit ipſe æger ut femori *emplaſtrum veſicatorium* ſatis amplum applicaretur.

Quo facto, quietè dormivit ſequentibus tribus vel quatuor noctibus; ſed vigeſimo octavo die, in lecto ob dolores non jacere poterat; neque ullum

levamen

levamen ei attulerat *veſicatorium.* Tum ſequentia exhibita ſunt.

R. *Pulveris alterantis,*
——— *Gummi Guaiaci, ſingulorum ſcrupulos duos,*
——— *Camphoræ,*
Opii crudi, ſingulorum grana tria cum ſemiſſe, ope Mellis fiant Pilulæ viii. *pro unâ doſi: omni nocte capiendæ, et mane quotidie repetendum Electarium ut antea.*

Triceſimo die Junii, ille artum præ dolore movere non poterat. Sequentia dedi.

R. *Pulveris*

R. *Pulveris alterantis drachmam unam,*
——— *Gummi Guaiaci ſcrupulos duos,*
——— *Camphoræ grana quinque,*
Extracti Thebaici grana quatuor; ope Balſami Copaivæ fiant Pilulæ viii. *pro doſi: ad horam ſomni ſumendæ ut antea.*

Hodie, quoniam æger ſtranguriâ vexabatur, hauſtum ex *aquâ hordeatâ*, in quâ *Gummi Arabicum* ſolutum fuerat, frequenter bibendum dedi.

Die tertio Julii, quamvis *grana quatuor opii* ſumpſiſſet omni nocte, queſtus eſt noctes eſſe adeò inquietas, ut aliam noctem ſe poſſe ferre negaverit.

Q   R. *Spiritûs*

R. *Spiritûs Mindereri drachmas sex,*
Aquæ puræ unciam unam,
Tinct. Thebaicæ guttas quadraginta,
Vini crocei, Syr. simplic. singulor. drachmas duas.
Misce; fiat Haustus anodynus, cum omni dosi pilularum H. S. capiendus, et mane urgente dolore repetendus.

Die undecimo Julii, acutissimi dolores remanserunt: venæ igitur sectio in pede affecto repetita est, et sanguis extractus ad Un. xiv. Quod facilè tulit. Venæ sectione peractâ, semicupio usus ægrotus est. Post semicupii usum *sequente Linimento* perfrictus est totus artus.

R. *Olei*

R. *Olei Olivarum opt. uncias duas,*
Spiritûs vinosi Camphorati unciam unam,
——— *Salis Ammon. fort. semiunciam,*
Misce; fiat Linimentum nervinum.

Die decimâ sextâ Julii, omnia in statu quo. Perrexit in semicupii usu quotidie, nec non *Linimenti, &c.* ut antea. De frigore artûs adhuc questus est. Sequentia præscripsi.

R. *Gummi Guaiaci,*
Cinnabar. fact. lævig. singulorum unciam dimidiam,
Conservæ Flavedinis Cort. Aurant. drachmas sex,
Balsami

Balsami Guaiacini drachmas tres,

Syr. è Cort. Aurantior. q. s. ut fiat Electarium, de quo capiat ad M. N. M. quotidie tempore antemeridiano, et insuper bibat largum Decocti Lignorum haustum.

Hâc nocte *haustus anodynus* omissus est, et *duo grana Extracti Thebaici pilulis* adjecta sunt.

Die vigesimo octavo Julii, dolor à coxâ remotus est ad dorsum et visicæ regionem; tamen urinam coloris naturalis facilè reddebat. Pulsus plenus: sanguis missus est è brachio ad Un. x.

Die

Die duodecimo Augufti, omnia erant meliora: dolores qùam maximè mitigati funt, motùs et virçs artûs meliores.

Diminui igitur dofin *opii*, quæ aliquot noctes naufeam excitaverat.

Paucis autem poft diebus, quoniam hujus mali pertinacis progreffus planè impediri videbatur, et æger fpontè jam dormire, *opium* penitùs omiffum eft, quantitas *Pulveris alterantis* etiam diminuta. *Sequentes* igitur *pilulas* quotidie ad horam fomni dedi capiendas, quæ habebant *Pulveris alterantis drachmam dimidiam*, *Gummi*

Guaiaci ſcrupulos duos, Pulveris Jalapii grana quindecim, Camphoræ grana duo, Vitelli ovi q. ſ. ut fiant Pilulæ viii. *pro unâ doſi.* In harum uſurpatione nec non *Electarii*, et * *Decocti Lignorum* perſeveravit; et ſpatio quidem, ab hoc tempore, duorum menſium, morbus omninò profligatus eſt, et ad perfectam ſanitatem revocatus æger.

Per totum morbi curſum à carne ejuſdemque juſculo abſtinuit; ac pro potu ordinario *Butyrum*

ſeroſum,

* *Decoctum Lignorum* fit coquendo *Ligni Guaiaci raſi libras duas*, ex *aquæ puræ libris octo*, leni igne, ut colaturæ fiant *libræ duæ*: cujus unam libram quotidiè propinet æger.

ſeroſum, et *Lactis ſerum*, Anglicè *dairy Whey* dictum, propinavit.

Pharmacopolæ *Dom.* HASTED, in honorem dicendum eſt, qui, ægrotum unà mecum viſitavit, illum omnia remedia neceſſaria promptè ſuppeditaviſſe, quibus hic miſer factus eſt ſanus; alioquin æger, cujus res Domi ſunt anguſtæ, cui uxor et proles erant, per totam vitam claudicaviſſet, niſi acutiſſimi dolores necem attuliſſent.

Notatio

Notatio de Aphthis.

QUANTUM intellexi, ante annum 1750, plùs minùſve, nullum remedium efficax Medicis notum erat, quo, quenquam Aphthis laborantem, quæ frequentèr acutis morbis ſuperveniunt, ſanare poſſent. Sed, multo ante tempus ſuprà dictum, rumor fuerat, Mulierem eſſe quandam, incolam vici *Palgrave* dicti, in agro Suffolcienſi, quam penes erat efficaciſſimum Medicamen, quo ritè adhibito, aphthoſas cruſtas

feliciſſimè,

feliciſſimè, vel paucarum horarum ſpatio, ſeparare poterat, et, aliquando quidem, paucis diebus penitùs malum removere. Tandem, illi, ad quorum aures hujus rei fama pervenerat, cùm rem exploraviſſent, remedium repererunt eſſe *Boracem*.

Inveſtigatione hujus rei locupletata eſt ars medica: nam antequàm uſus *Boracis* Medicis notus erat, quid uſitatis Medicamentis fieri poſſet? Præcipuè talibus in caſibus, ubi primæ viæ, et totum inteſtinorum volumen, adeò aphthoſà materiâ teguntur, ut nulla nova liquida, per inteſtinorum vaſa bibula, in locum perditorum ingeri poſſent, nutritura corpus: hinc frequens cauſa mortis.

Hoc jam nunquàm ad talem exitum perduci poſſet, ſi Medico ſatis nota fuiſſet efficacia *Boracis:* cùm enim vires corporis non penitùs diruantur, ſed tantum lædantur impetu febris, et glutinoſâ ac aphthoſâ materiâ in primis viis hærente, adeò ut cauſâ ſublatâ ad ſanitatem ſe redigere poſſit natura, Medicum ſua de *Boracis* efficaciâ concepta ſpes non unquam fallet.

Magnâ ex parte *Boracem* ſequente modo adhibeo.

R. *Boracis pulverat. drachmas duas,*
Mellis ſeſcunciam;

Liqueſcant

Liquescant simul, lento igne, in vase serreo, *assiduè moto donec perfectè coëant; tum ab igne remove, et adde*

Syrupi Mororum semiunciam.

Misce; fiat Linctus, cujus capiat æger parvulum cochleare horis singulis aut crebrius, per octo vel decem horas, ac lentè deglutiat donec lingua et gingivæ satis puræ factæ fuerint; deinde omni bihorio, vel tertiâ quâque horâ, repetat pro re natâ.

Specillum molli linimento involutum, in Linctum suprâ præscriptum demittendum est, et in crustas aphthosas gingivis, interioribusque oris partibus hærentes

hærentes imponendum: hoc ægrotis magno usui erit.

Cùm verò lingua, et internæ oris partes, puræ esse cœperunt, superficies interni oris ruberrima apparet, et nervosæ papillæ linguæ, faucium, labiorum, et buccarum dolentissimæ sæpe fiunt, adeò ut non diutiùs in Linctûs usu perseverare possit æger: cùm res sese sic habet, omisso per aliquot horas Linctu vel diem unum et alterum, pro re natâ, leniore medicamine utendum est; quod ore paulisper continendum est, ac lentè hauriendum. Sequens Mistura in hoc morbi stadio sumpta multum commodi adfert.

R. *Mucilaginis*

R. *Mucilaginis Seminum Cydoniorum uncias ſex,*
Syrupi Mororum unciam unam.
Miſce; fiat Miſtura, cujus capiat cochleare, omni ſemihorâ.

Aliquando ſi denudatæ partes non ægrum magno dolore affecerint, *Mucilaginis Cydoniornm unciis ſex* adjiciatur *Boracis drachma*, priùs triti cum *mellis paululo*; et ſi Aphthæ rurſus appareant, *Linctu* et *Mucilagine* alternatim utendum eſt, donec convaluerit æger.

Nunc mihi in mentem venit, me, multis annis jam elapſis, accerſitum fuiſſe ad generorum

virum octoginta circiter annos natum; qui, per multos dies, continuâ febre unà cum Aphthis laboraverat. Singultu vexabatur, et omnis faucium superficies partiumque interni oris, crassâ et albâ crustâ tegebatur; adeò ut vix ullum potum haurire, aut haustum per bibula vasa resorbere posset. Medicus qui eum à morbi initio curaverat, omni ejus salutis spe abjectâ, tanquàm morituro abierat. Quàmvis eò res redacta esset, à reprehensione absuit Medicus: nam Medicamenta, in similibus casibus, à celeberrimis Medicis probata adhibuerat; sed *Boracis* efficaciam in aphthosis morbis ignorabat.

Uſurpatione *Linctûs*, *&c.* ſupra poſiti, hebdomadarum duarum ſpatio reſtitutus eſt ſanitati.

Hic vir optimus annos exindè decim integrâ valetudine fruitus, nonageſimum annum agens naturæ conceſſit.

Notatio

Notatio de nephritica Affectione.

DUM hoc opuſculum in prelo typographico erat, amicus meus Doctor GRIFFITH, de quo ante mentionem feci; qui, quamvis ipſe bonâ valetudine rarò fruatur, et jam dudum Rude donatus in otio cum dignitate vixerit, tamen bonæ aliorum valetudini ſtudet, mihi ſcripſit *ſaturatum Decoctum ex ſiccatis fabarum equinarum Siliquis in Aquâ* factum, multum levaminis plurimis arenulâ et arenoſâ materie laborantibus attuliſſe :

attulisse: imò postquàm ille multa à multis frustrà sumpserat. Nuper Doctori erat robustus homo, auriga generosi viri, vehementi Nephritidie correptus, adeò ut urina suppressa esset; qui, post debitas evacuationes, hujus Decocti usurpatione restitutus est sanitati. Quantitatem duarum quotidie librarum ægro dari bibere jussit Doctor.

Multis retrò annis *Mucilaginem Gummi Arabici* talibus in casibus inveni prodesse multum: sed largâ copiâ exhibenda est; scilicet duæ aut tres unciæ idoneo in vetriculo solutæ; et, horarum viginti quatuor spatio, totâ quantitate exhibitâ, et quotidiè repetitâ, donec æger arenulam vel calculos excreverit:

quod plerumque paucis diebus accidet, ubi non nimis largi ſunt calculi: deinde minor dimidio quantitas quotidie ſumpta reditum mali prohibebit. Soleo *Apozema* adminiſtrare, quod habet *Aquæ hordeatæ*, vel ejus loco *ſaturati Decocti ex Radicibus Althææ* facti, *libras duas*, *Gummi Arabici uncias tres*, *Aquæ Juniperi compoſitæ unciam unam vel duas Syrupi ex Althæâ* q. ſ. fiat Apozema S. A.

Illud Medicamen non tantum minores calculos, ſed etiam arenoſam materiam expellendi, ex quâ calculus gignitur, vim habere ſuſpicor.

Verùm tamen quod ſuprà *de Gummi Arabici* uſu dixi, non mihi eſt in animo, quenquam prohibere

fabalium

fabalium filiquarum periculum facere ; id enim, oc-occafione datâ, ipfe faciam ; fed tantum idoneam dofin *Gummi Arabici* indicare volui, cujus ufus auxilium feliciter adferre poffet. Contigit enim mihi non raro ægrotos vifere, nephriticis fymptomatibus laborantes, qui ob dofis parvitatem diu *hoc Gummi* fruftrà ufi fuerunt, et poftea largiorem dofin profuturam perfuadere illis vix potui ; tam malam de illo opinionem imbiberant ; nihilominùs auctâ dofi ad fanitatem fuerunt redacti. Doctor GRIFFITH fuprà memoratus mihi dixit, quendam ægrotum poft diuturnam, fed inutilem *aëris fixi* ufurpationem fecundum Doctorem HULME, *ex fabalium filiquarum Decocto* factum fuiffe fanum. Per duos annos nephriticis

phriticis in caſibus, eo remedio, id eſt, aëre fixo Doctoris HULME, ſcilicet confecto *ex Sale Tartari et ſpiritu Vitrioli* uſus ſum; idque quibuſdam in caſibus prodeſſe inveni; ſed tamen quod iſtius remedii uſu effectum fuit, non mihi ponderis ſatis adhuc videtur, ut in lucem edam. Sed ſi quid momenti acciderit, de eodem ipſum Doctorem HULME certiorem faciam: quia ille ipſe mihi de ejus uſu duobus abhinc annis ſcripſit. Non fortaſſe ægrotis ingratum erit nephriticis ſymptomatibus vexatis, audire novellas et teneras adhuc fabarum ſiliquas, in phaſeolorum morem coctas, vix ab iis ſpecie aut guſtu differre. Veri igitur ſimillimum eſt, fore, ut hujuſmodi cibus utilem et dulcem ſpem ægrotis adferat.

POSTSCRIPTUM.

POSTSCRIPTUM.

INTERDUM aliquid adeò præter naturæ consuetudinem exorietur, ut nemo, nisi Physicus aut Medicus facilè credat. Id tamen aliquando usu potest evenire, quod non ignorare omnium magnoperè referat. Cùm igitur res ita se habeat, officiorum omnium religione obstringitur potissimùm Medicus sic lucidè rem explicare, ut ea rectè ab omnibus accipiatur. Exempli gratiâ. Fœtus, ante septimum mensem, natus, vulgo judice, plus paucis horis, vel, ad summum, diebus vivere non

poteſt: cùm Medicis manifeſtiſſimè pateat, vim vitæ nonnullis Fœtibus ſexto menſe natis tantam ineſſe, ut multos menſes poſſint vivere; quod verum eſſe nuper ipſe compertum habui.

Anno 1779, Dominus DANIEL FREEMAN, obſtetricii peritus Chirurgus, incola vici *Stowmarket* dicti, me ad uxorem, multâ jam prole matrem, accerſivit; quæ, ab uteri hæmorrhagiâ, ſexto gravitatis menſe, abortum factura videbatur. Inveni bonum ejus pulſum, et ita mediocrem fluxum, ac orificium uteri non ſatis apertum, ut melius rem naturæ committere, quàm vi ullâ infantem extrahere, nobis viſum fuerit. Ei igitur quietem animi, corporiſque,

aëris

aëris frigidi modicum, aſtringentia et opiata præſcripſi: quorum uſurpatione, paucorum ſpatio dierum, Maritique auxilio puellam peperit, quæ quindecim ſeptimanas vixit, et ad ſanitatem ſolito tempore reſtituta eſt mater. Si tantum primos Lucinæ labores experta eſſet noſtra puerpera, intra ſextum menſem poſt matrimonium, ut nunc ſunt hominum mores, quis de illius caſtimoniâ populi ſermo fuiſſet?

F I N I S.

Errata.

PAG. 7, lin. 6, *lege* cachecticus.
—— 8, — 3, *lege* cœperat,
—— 11, — 1, *lege* repetatur.
—— 19, — 10, *pone* , *post* ſumptâ.
—— 20, — 1, *lege* itinere.
Ibid, — 2, *dele* , *post* qui.
Ibid, — 8, *lege* triginta.
Ibid, — 13, *lege* amiſſâ
—— 21, — 5, *lege* dyſenterica.
Ibid, — 13, *lege* appetentiæ.
—— 27, — 3, *lege* addatur.

PAG. 37, lin. 3, *lege* injectione.
—— 38, — 6, *dele* , *post* GRIFFITH.
—— 43, — 2, *lege* felici.
—— 44, — 2, *lege* fuerit.
—— 65, — 4, *dele* , *post* qui,
—— 69, — 12, *lege* [illegible].
—— 71, — 8, *lege* decem.
—— 73, — 1, *lege* illi.
Ibid. — 2, *lege* ſumpſerant.
Ibid, — 11, *lege* vehiculo.